13

51

S. P. Exc. et Clariss. Vir, Dne et amice Charissime.

Expectabam avidè responsum ad literas et invitationem meā ex optimo animo profectam, et mirabar tam diuturnam silentium tuum. Nuper, cum ex concione domum properarem, amicus quidam jucundiss. mihi nuncium affert de filiā tuā, unico domino et amico desponsata. Exilui gaudio, quo etiam nunc exulto, et toto pectore socero et genero, et novā nuptā gratulor, Deumque O. M. supplex oro, ut hoc conjugium felix fortunatumque esse velit, ac bonis omnibus cumulet. Amen, Amen, Amen. Gener tuus ad alios scribit, quos ego non in tanta illius gratia esse putabam, ut mecum contendere possent. ad me ne verbum quidem, et quod gravius est, ne respondere quidem dignatus ad aliquot meas epistolas. Nescio quid commeruerim. Sed quid imprudens peccavi, non eram tanta poena dignus animus in eum certè nunquam deliquit, nec delinquet. Sed queri desino, feram infortunium hoc quoque, ut potero. Si meum nomen est illi usque adeo invisum, ut ne audire quidem amplius sufferat, rogo, ut ei salutem dicas ex me et felicissima precare cum filiola tua. Ego vester sum, et esse volo etiam vobis invitis. Si januam mihi occludetis, per fenestram ad vos penetrabo. Praetorius meus magnifacit tuam aequanimitatem, et in se amorem, gratias etiam agit. De libris tuis (de nova stella et aliis etc.) quid facere constitueris, ac loci mutatione scire aveo. Vale cum tuis et me mutuo dilige. Uratislav: Non. Martii 1580.

6.

Clariss: atque Exc: Dne et amice Honorande S. P.

Animadverti te graviter offensum esse, quibusdam verbis, quae posita sunt in defensione Cometarum illius meae Epistolae. Et si illa mihi non ita acerba videntur, ut tu interpretaris, et certè non sunt profecta ab alieno abs te animo, tamen quoniam secus tibi videntur, obsecro te per bonitatem tuam, mi Charissime et opt. amice, ut ea in optimam accipere partem velis. quidvis malo quam te offendere, hominem mihi charissimum, de me nullo unquam tempore male meritum, et sic a me ibi nominatus, ac ne nominaberis quidem illo loco, nisi honorificè atque amanter, ut meretur eximia doctrina tua et amicitia nostra. Expectabam sum, propter mis literis et si quibusdam visum, sit me a te male acceptum fuisse in scripta tua typis edita, me tamen non fuisse offensum. Non ita facile, mihi crede, cujusquam, nedum tui similium, amicitiam refugio, neque ita sum irritabilis. Nunquam a cujusquam amicitia sponte discessi, et discedentes aliqua de causa a me omni studio retrahere conatus sum. Itaque te oro, ut sive causam tibi attuli imprudenti scriptione mea, sive non ita ut decebat, de te scripsi, mihi ut ignoscas, deinque errorem mihi lubenter condones.

Si vis etiam poenam praescribas, luam aequo animo. Quis neget
cometas iraru accendere flammas? male sit illi Epistolae, quae mihi
te commovit. Quid faciet proxima epistola, si paucula illa verba tibi
stomachum moverunt! Si ferre non potes collationem amicam de hisce
studiis malo perpetuum mihi silentium indicere, quam tibi ulla in
parte molestus esse. Fuit hic superioribus mensibus tui studiosiss. Judaeus,
vir ut videtur mihi est bonus. Rabbi Lazarus von Dornberg Medicinae et
Astrologiae Professor, ut mihi librum mysteria quaedam Kabalistica
tractantem mitteret, cujus titulus est: Sepher Malchamos Adonai, recepit
se id facturum: rogo te, effice, ut quamprimum mihi mittat. Si
fidejussione opus fuerit, sis pro me sponsor, integrum et incolumem me
redditurum, ad illud ipsum tempus, de quo inter vos convenerit. Non fallam
vos. Me tibi de meliori nota commendatum esse cupio, quam hucusque factum
est. Crede mihi, esse me tui perquam studiosum, et amantiss.

Uratisl.: d. 21 Aug: Ao 80

7) Eidem Taddeo Hayecio ab Hayeck Andr. Dudith

Clariss: atque Exc: Vir Domine et Amice honorat. et Chariss. S. P. D.

Reddidit mihi binas literas tuas, amicissimus meus Genertus; in
quibus praeter elegantem doctrinam, agnosco etiam constantem illam
in me benevolentiam tuam, de qua tibi multum debeo. De mea vicissim
erga te voluntate, ac bene de te merendi studio, si dubitare te suspicarer,
pluribus tecum verbis agerem. Sed probe scis quanti te faciam,
quam te amem, ac quantopere tua commoda cupiam. Quae in meam Epistam
de Cometis annotasti, me certe minime offenderunt, etsi quibusdam leve
amicitiae nostrae ac prope nullam dedisse rationem videare. Nam
utrumque quod nostra contemptim tractas ac si nihil firmi, nihil
sani haberent, in eorum me numerum reponis, a quo me, Dei benignitas,
ac pietas mea exemit, hominum nimirum Atheorum, et in
Deum contumeliosorum. Quae me res commoverent, si nescirem, salva amicitia,
diversam de rebus controversis ~~sententiam~~ [disputationibus] sententiam sequi, ac tueri licitum
semper fuisse, apud cordatos homines. Qua de re, praeclare
nescio quis distichon scripsit:

Non eadem sentire bonis de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

Hoc quidem ego teneo ac quam mihi relinqui cupio, eandem aliis
quoque libertatem aequissimo animo concedendam puto. Alterum illud
de impietate quoque minus moleste fero, quod certe persuasum habeo
te secus de religione mea sentire. De Bruto, viro eloquentiss. ac multis
magnisque virtutibus ornatiss: non negaverim, molestius eum pictura tua
tulisse